

erat comes Haroldus, secundus abbas, tertius episcopus, familiaritatis ausu interrogant quid riserat: mirum omnibus nec immerito videri, quarè in tanta serenitate diei et negotij, tacentibus cæteris, scurrilem cachinnum ejecerit. Stupenda (inquit) vidi, nec ideo sine causa risi. Tum illi, vt moris est humani ingenij, sciscitari et querere causam ardentius, vt supplicibus dignanter rem impertiatur. Ille multum cunctatus tandem instantibus mira respondit: septem dormientes in monte Cælio requiescere iam ducentis annis in dextro iacentes latere: sed tunc in hora ipsa risus sui, latus inuertisse sinistrum: futurum vt septuaginta quatuor annis ita iaceant: dirum nimirum miseris mortalibus omen. Nam omnia ventura in his septuaginta quatuor annis, quæ dominus circa finem mundi prædixit discipulis suis: gentem contra gentem surrecturam, et regnum aduersus regnum, terræmotus per loca, pestilentiam et famem, terrores de celo et signa magna, regnorum mutationes, gentilium in Christianos bella, item Christicolarum in paganos victorias. Talia mirantibus inculcans passionem septem dormientium, et habitudines corporum singulorum, quas nulla docet litera, ita promptè disseruit: ac si cum eis quotidiano victitaret contubernio. His auditis, comes militem, episcopum clericum, abbas monachum, ad veritatem verborum exsculpendam, Manicheti Constantinopolitano imperatori misere, adiectis regis sui literis et muniberibus. Eos ille benignè secum habitos episcopo Ephesi destinavit, epistola pariter, quam sacram vocant, comitante: vt ostenderentur legatis regis Angliae septem dormientium marturiales exuuiae. Factumq; est vt vaticinium regis Edwardi Græcis omnibus comprobatum, qui se a patribus accepisse-iurarent, super dextrum illos latus quiescere: sed post introitum Anglorum in speluncam, veritatem peregrinae prophetæ contubernalibus suis prædicarunt. Nec moram festinatio malorum fecit, quin Agareni, et Arabes, et Turci, alienæ scilicet a Christo gentes, Syriam, et Lyciam, et minorem Asiam omnino, et maioris multis vrbes, inter quas et Ephesum, ipsam etiam Hierosolymam depopulati, super Christianos inuaderent.

The same in English.

VPon Easter day king Edward the Confessor being crowned with his kingly diademe, and accompanied with diuers of his nobles, sate at dinner in his pallace at Westminster. And when others, after their long abstinence in the Lent, refreshed them-